

reddatur opinio probabilis practice.

XVIII. Responso ad hoc dubium pendet ex dicendis sequenti articulo circa modum deponendi conscientiam dubiam, et scrupulosam. Sed quantum attinet ad præsens dico ex duplici capite, et principio deduci posse practicam probabilitatem, et dictamen prudens in singulari formandum. Primum est ex principiis intrinsicis ipsius rei, de qua agitur, secundum ex principiis extrinsecis. Vocamus principia intrinseca illa, quæ desumuntur ex propria natura rei in genere morali: in quo juxta gravitatem materiæ diversa principia inspicere debent, unde propter diversam gravitatem, quod est sufficiens pro uno, aliquando non est sufficiens pro alio. Ad naturam autem rei moralis, et in materia morali pertinet in primis lex ipsa, seu jus, aut concordia, quæ circa aliquid habetur, id enim pro regula reputatur: secundo, pertinet consuetudo, quæ ad legem reducitur, quia per consuetudinem lex firmatur: tertio, possessio, quia in dubiis melior est conditio possidentis: quarto, necessitas, quia imminente necessitate multa judicantur prudenter fieri posse, quæ extra casum necessitatis non possent fieri: quinto, effectus, sive damna, quæ ex aliqua operatione sequuntur, aut timeantur, ad quod pertinet periculum quod solet ex aliqua actione sequi. Ex his principiis, vel aliis similibus, quæ ad hæc reducuntur formari solet ratio, seu fundamentum pro alicujus opinionis probabilitate fundanda, et ut dictamen hic et nunc sit prudens, et rectum, non temerarium. Vocamus autem principia extrinseca auctoritatem doctorum, præsertim antiquorum; est enim certum, quod sapientium sermones, et auctoritas magni æstimanda est, et fidem ac pondus magnum

confert sententiis, juxta quod Spiritus sanctus loquitur, et dicit Ecclesiastici viii: *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiiis eorum conversare, ab ipsis enim disces sapientiam intellectus, et servire magnatis sine querela. Non te prætereant narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Itaque auctoritas doctorum, et virorum prudentium, et cordatorum, et eorum stylus in aliqua republica, magnam auctoritatem præbet, et per consensum ad illos formari debet judicium, et dictamen prudens.

XIX. Hæc autem duo principia, licet certa sint secundum se sumpta, et in genere loquendo, tamen in illis applicandis, et evolvendis non eodem modo procedendum est, sed oportet magna uti discretionem, et circumspectionem. Nam qui non sciunt, neque docti sunt, tenentur consulere in re gravi viros litteratos, et prudentes, atque illius facultatis ad quam pertinet rem illam tractare. Et inter hos, eos quos sciunt, vel credunt esse timoratos, et non præcipientes in sententia ferenda, de quibus si non sint certi ex fama communi, et notitia quæ in tali loco de talibus viris habetur, certiorari possunt, et sic operari. Et juxta qualitatem, et gravitatem negotii, ejusve obscuritatem, et difficultatem, plures vel pauciores consulere oportet, præsertim si sint opiniones dissentientes, nec facile inveniatur ratio, quæ possit convincere. Quod si pluribus consultis, inveniatur inter eos dissensio, et diversitas opinionum, et consulens sit illitteratus, qui non possit discernere inter illos, et eorum opiniones atque fundamenta, nec facile possit alios doctiores consulere quamcumque opinionem poterit sequi, dummodo a talibus te-

neatur ut probabiles, præsertim si ipsos videat operari juxta talem sententiam et alias non constet esse viros pravæ conscientiæ, et præcipientes, sed cordatos.

XX. Ut ergo in particulari formetur dictamen prudens, et practice probabile, primo attendenda est gravitas, et difficultas materiæ, ut majori attentione, et studio consideretur, et sufficiens tempus ad hoc concedatur, ne celeritate ipsa opprimatur ratio. Illa autem materia in re morali est gravior, ubi majoris peccati periculum, vel majus damnum imminet: sicut in materia sacramentorum, propter summam reverentiam, qua tractanda sunt, oportet etiam attentius de illis consulere et majorem securitatem habere, eo quod sacramenta non operantur gratiam juxta nostram æstimationem, sed prout in re sunt, et ideo oportet in illis sequi securiorem opinionem, et hæc erit practice probabilis pro sacramentis, quæ fuerit securior, et juxta id quod exigunt in re. Similiter, ubi est periculum mortis alicujus hominis, vel plurium hominum, sicut in medico, ad adhibendum aliquod remedium dubium, in rege ad indicendum bellum, in judice, vel avvocato ad causam criminalem, exactiori consideratione, et attentione opus est, nec potest practica probabilitas haberi tam facile, sicut in aliis materiis; nec enim prudentia dicat omnes materias posse æquali pondere tractari, et ita quod probabile est pro una, et prudentiale, non est pro alia. Et idem dicendum de materia, ubi magnum damnum bonorum potest imminere, ut in causa civili momenti, in indictione tributis, etc.

XXI. Attenta autem gravitate materiæ, seu negotii tractandi, circa resolutionem, et formationem dictaminis, primo attendenda est lex, seu jus, si aliquod datur in tali materia.

In quo potest esse dubium in primis, an lex talis detur: et si datur, an obscure, vel clare loquatur, ita quod de ejus intelligentia sint diversæ opiniones; et dato quod clare loquatur, an obliget etiam in isto casu; an vero exceptionem patiat, puta in casu necessitatis urgentis, aut ubi epiikia locum habeat. Si est dubium, an detur lex, fieri debet diligentia juxta quod est possibile in tali tempore, aut loco, id est, juxta arctitudinem, vel latitudinem temporis, et loci in quo urget negotium faciendum. Quod si facta sufficienti diligentia, non constat an detur lex aliqua circa talem materiam, sed maneat dubium, non obligat lex, quia in dubio, an detur, vel non detur lex, vel votum (quod est lex privata) post factam sufficientem diligentiam, non obligat talis lex, seu reputandum est, quod non detur, eo quod lex est gravamen, quod imponitur inferiori, et quasi in servitutum, et obedientiam redigens, in dubio autem servitutis, et gravaminis, possidet quis libertatem suam. Quod si constet de lege, sed circa ejus intelligentiam sit varietas opinionum, oportet id regulare, vel penes consuetudinum loci, vel praxim tribunalium receptam, vel penes graviores auctores, et eorum fundamenta, sicut statim dicemus loquendo de formatione conscientiæ penes principia extrinseca, id est, auctoritatem doctorum. Si vero constet de intelligentia legis, sed dubium sit de exceptione legis pro isto casu, ratione epiikiæ, vel urgentis necessitatis, aut ex alio capite, oportet considerare, an talis necessitas, vel utilitas, aut ratio propter quam fit exceptio sit evidens, si enim sit opinabile, et dubium de ipsa necessitate, aut utilitate, prius facienda est diligentia, an vere sit talis necessitas, vel causa exceptionis; si enim sit dubium de causa exceptionis, potius

lex possidet, et exceptio non est facienda.

XXII. Ratio est; tum, quia exceptio ista est sicut vulnus legis, et quædam ejus abscissio; cum autem lex semel est statuta, et stabilita, est in possessione præcipiendi, quia jam existit præceptum ejus, nec est lex dubia, ut supponimus, ergo si causa exceptionis non est certa, sed dubia non potest legem vulnerare, et in hac parte deponere, quia lex possidet, et in casu dubii melior est conditio possidentis; tum etiam, quia communiter jura, quando ponunt exceptiones legis alicujus faciendas propter necessitatem, vel utilitatem, addunt semper particulam evidentem, scilicet propter evidentem utilitatem, vel necessitatem, ergo requirunt necessitatem non esse dubiam. Et licet posita evidenti necessitate, vel utilitate non videatur necessarium, quod lex ipsa excipiat, quia naturaliter ex ratione episcopii manet talis casus exceptus, tamen id volunt nos docere jura, quod non debeamus propter quodcumque dubium, vel opinionem de necessitate, vel utilitate, legem prætermittere, sed debemus habere evidentiam de ipsa necessitate. Sic autem jura ipsa decernere constat ex multis locis, nam in Concilio Tridentino sess. xxiii, cap. i de reformatione, posita lege de residentia episcoporum, excipitur casus urgentis necessitatis, et evidentis utilitatis pro republica, vel Ecclesia: de quo etiam videri possunt plures textus in titulo de clerico non residente. Similiter in extravaganti ambrosiana, ubi Paulus Secundus præcipit non posse fieri alienationes immobilium ecclesiasticorum, excipit casum evidentis necessitatis, vel utilitatis. Non ergo licitum est exceptiones a lege facere ratione necessitatis, vel utilitatis, nisi evidenter constet de necessitate. Ad quod

etiam faciunt textus in capite Non minus, et in capite Adversus, de immunitate, super tributis imponendis in bonis ecclesiasticis, quod fieri non potest sine examine necessitatis, vel utilitatis propter quam imponitur.

XXIII. Secundo loco inspicienda est pro formando probabili dictamine consuetudo populi, et timoratorum, stylus curiæ, vel tribunalium, in quibus justitia plene administratur. In quo idem observandum est, quod circa legem, et circa dubia occurrentia, consuetudo enim tamquam altera lex habetur. Et præsertim in dubiis, quæ occurrunt circa sacramenta ministranda, consuetudo Ecclesiæ potius æmulanda est, quam quæcumque rationes probabiles, et apparentes, si consuetudo approbata sit. Quam autem vim habeat consuetudo, et stylus curiæ, vel tribunalium, non pertinet ad præsens, sed in materia de legibus tractandum est.

XXIV. Tertio loco inspicienda est possessio, quia in dubio melior est conditio possidentis, et in favorem ejus formanda est conscientia, et dictamen. Quid vero nomine possessionis intelligatur, et quibus casibus locum habeat jus possessionis sequenti articulo dicemus. Ad quam etiam regulam reducenda est alia, quæ etiam pro dictamine recte formando deservit: In dubiis favendum est reo, quia reus quamdiu non condemnatur est in sua possessione, a qua deturbari procuratur ab actore. Quam regulam cum aliis, sequenti articulo elucidabimus.

XXV. Quarto loco inspicitur necessitas, quæ hic et nunc intervenire conspicitur. Instante enim necessitate recto judicio aliqua eliguntur, quæ extra necessitatis casum non licerent. Et quanto major instat necessitas, tanto plus aliqua licent, quia necessitas caret lege, ita ut in

extrema necessitate etiam quæ aliena sunt licite accipiuntur, et tenentur aliquis etiam de necessariis sibi extreme indigenti præbere, ut recte docet S. Thomas 2-2, quæst. xxxii, articulo v. Æquiparat autem S. Thomas ibi extremam necessitatem personæ particularis necessitati gravi reipublicæ, ita quod non requiritur extrema necessitas reipublicæ sed sufficit gravis, ut teneatur ei aliquis subvenire etiam de sibi necessariis. Et hoc recte, quia gravis necessitas, reipublicæ parit multas extremas, ut est bellum, pestis, et similia, quæ inter gravia reipublicæ mala numerantur. Et illis ita tenentur subditi subvenire, sicut proximus alteri proximo extreme indigenti. Et hoc etiam si ex culpa gubernantium talis causa, seu malum acciderit, quia obligatio illa subveniendi respicit statum præsentem quem patitur persona, vel respublica non causam ex qua processit. Tenebitur tamen ille, qui suo regimine, aut actione fuit causa talis damni prius ex suo, si possit, resarcire et causam illam talis mali tollere, si possit, quam aliorum facultatibus suum periculum arcere. Quomodo autem debeat constare de tali necessitate, ut ei subvenire teneamur in conscientia, diximus in primo notabili.

XXVI. Quinto loco inspiciendum est damnum, seu effectus, qui ex aliqua parte sequi possunt. Hoc enim est, quod maxime nos formare docet practicum, et prudentiale dictamen, quia videmus plures opiniones disputative suam probabilitatem habere, quæ tamen ob plures malos effectus inde secutos non est tutum consuli: sicut ex eo possint cum eodem simul fieri contractus societatis, et assecurationis fieri circa aliquam pecuniam nihil improbabilitatis in speculatione, et disputatione inferri videtur; tamen ipsa expe-

rientia, et usu comprobamus, ex hoc consequi multas palliatas usuras, imo nihil jam inveniri tam usurarium, quod non possit ratione prætensi lucri cessantis, et assecurationis dandæ, justificari. Unde factum est, quod fere omnes in pecunia, et negotiatione plus considant, quam in labore et fructibus terræ, et omnia replentur fraudibus, negotiationibus, otiositate.

XXVII. Quare in formando dictamine conscientiæ multum oportet respicere ad effectus, et damna secuta, et semper ex duobus malis, minus est eligendum; quod intelligitur in malis damni, seu pænæ, sicut in his quæ eligenda sunt a rege, iudice, medico, avvocato, et aliis similibus, qui de aliquibus malis, aut damnis judicant. In malis autem culpæ, nullum est eligendum, si vere culpa est, et offensa Dei: ita quod clare constet utrumque esse malum culpæ, nam si sit dubium de ipsa culpa, potest deponi facta sufficienti diligentia, quæ tollit dubium practicum. Et tunc jam non est malum. Et similiter si una culpa sit diminutiva alterius, potest minor consuli, non ut culpa, sed ut impeditiva alterius; ut si volenti homicidium, consulam mutilationem ne fiat homicidium. Qui tamen eligit, et de facto facit minorem culpam, peccat, et malum facit, quia non divertit a majori malo ut consulens, sed pure exequitur offensam Dei. Hæc autem semper est voluntaria, et voluntatem aversam reddit a bono, quod nunquam est eligendum: licet verum sit, quod aliquando id quod in aliqua circumstantia temporis est peccatum, sine tali circumstantia, aut ratione alicujus necessitatis urgentis, peccatum non est, et tunc est eligibile non ut minus malum, sed ut non malum.

QUID DE PROBABILITATE EX PRINCIPIIS EXTRINSECIS?

XXVIII. Circa principia extrinseca, scilicet auctoritatem doctorum, et usum, seu consuetudinem, oportet attendere, quod non quælibet auctoritas potest probabilitatem fundare in re morali. Cum enim ea quæ moralia sunt dependeant, tam a scientia, et pondere rationum, quam a prudentia, quæ rursus pendet a recta intentione, et pietate vitæ, in tantum aliqua auctoritas facit probabilitatem moralem, et practicam, in quantum supponitur in illis auctoribus inveniri sapientiam fundatam, et prudentiam, seu vitam approbatam.

XXIX. Et ideo oportet distinguere de auctoribus facientibus probabilitatem moralem, quod illi vel sunt antiqui, vel moderni, et pauci temporis. Si sunt antiqui, videndum est an in suis opinionibus habuerint sequelam, an fuerint opiniones antiquatæ, et relictæ. Si enim opinio illa fuit relictæ licet sit alicujus antiqui, vel antiquorum non habet pondus, nec in vi auctoritatis facit fundamentum. Si autem est opinio antiqua, seu antiquorum auctorum, et probationem habet, quia sequelam habet inter cordatos fideles, et prudentes, judicanda est auctoritatis probabilis, quia tunc non solum concurrunt personalis auctoritas alicujus doctoris, sed multorum, et multi temporis comprobatio, quæ æquivalet multorum iudicio, et consuetudini.

XXX. Et dixi inter cordatos, et fideles, nam si multi sequuntur aliquam opinionem, sed non cordati, aut fideles, nihil auctoritatis præbet multitudo, nam potius stultorum infinitus est numerus. Inter prudentes vero antiquitas facit auctori-

tem, quia in antiquis semper præsumitur sapientia, juxta illud Job XII: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Et communiter quæ traduntur ab antiquioribus præsumuntur tradita a patribus, juxta illud Ecclesiastici VIII: *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis.* Et ideo auctores antiqui, qui in aliqua gravi familia sequelam, et opinionem habuerunt, vel ex hoc magnam auctoritatem, et probabilitatem sibi conciliant, ut D. Thomas, Scotus, et similes. Quod si accedat vitæ sanctitas, et approbatio Ecclesiæ, inde in re morali magna probabilitas auctoritatis fundatur, quia qui sic docuerunt sic etiam fecisse præsumuntur, quia proprium est sanctorum facere, et docere. Si autem sic fecerunt, et sancti fuerunt, et ut tales approbati sunt ab Ecclesia, etiam eorum facta approbationem habent, et a prudentiæ virtute, aut lumine superiori processisse judicandum est, præsertim in actionibus imitabilibus, et non extraordinariis. Unde tales etiam imitari possumus, utpote prudenter, et recte factas.

XXXI. Si vero probabilitas auctoritatis sumatur solum ex auctoribus recentioribus, aut qui actu vivunt, et eorum petitur consilium, dubium esse potest quid debeat concurrere, ut eorum auctoritas probabilitatem faciat. Et dico, quod per se loquendo sola personæ auctoritas non facit probabilitatem practicam, sed oportet adjungere fundamenta rationum, ita quod constet non levi fundamento duci, et alias etiam constet pollere hominem illum maturo iudicio, et consilio, et ingenii acumine, ita quod præsumptio fundata sit de illo, quod non leviter, et superficialiter res serias tractat, sed cum fundamento, et pondere. Si autem istæ conditiones concurrant potest ex tali auctoritate probabile

judicium practicum formari, sive plures sint auctores, qui illam opinionem doceant, sive unus tantum; licet quando plures concurrunt, ut duo, vel tres habentes tales conditiones securior reddatur illa probabilitas. De hoc videri potest Montesinos hic disp. XXIX, quæst. v, §. VI, n. CCXLVII, et sequentibus; Vazquez hic disp. LXII, c. IV, et alii.

XXXII. Ducor vero in hac parte primo ex definitione rei probabilis, seu opinionis probabilis, dicitur enim esse id quod apparet omnibus, aut pluribus, aut etiam paucioribus, et maxime versatis in illa scientia. Si ergo probabilitas in hac apparentia consistit, oportet quod ut aliquid sit probabile, fundamentum ejus tale sit quod de se sufficiat omnibus, aut pluribus apparere. Si autem apparet paucis, oportet quod maxime versati sint in tali scientia. Maxime autem versatis non apparet aliquid tale, nisi ob profunditatem rationum, et sic si auctoritas paucorum, id est, recentiorum, qui sunt pauci temporis probabilem reddit aliquam sententiam, ideo est quia supponuntur illi pauci esse maxime versati in tali scientia, atque adeo magno fundamento duci; tum etiam, quia vel isti doctores, aut doctor recentior, qui sic modo sentit, habent fundamentum in auctoritate antiquorum, non antiquata et relictæ, sed probata et currenti, aut non. Si habent, jam talis probabilitas non est fundata in auctoritate solum recentiorum, sed antiquorum, pertinetque ad priorem classem, non ad hanc de qua loquimur in præsentia. Si non habent, sed modo in ipsis incipit talis opinio, vel intelligentia, cum sint singulares, oportet quod fundamenta gravia habeant, ne temeritatis, aut levitatis notam incurant.

XXXIII. Quod si fundamenta, et pondera rationum in his recentiori-

bus debent facere probabilitatem, parum interest, quod sint plures vel unus tantum, quia non ex personis æstimanda est fides, et ratio, sed ex fide personæ. Unde etiam unus vir doctus potest facere probabilem sententiam, si rationum momenta debent ponderari, et illa sunt ad id sufficientia. Nam plerumque in antiquis hoc modo opiniones probabiles ab uno, vel alio insigni doctore introductæ sunt, quæ postmodum magnam auctoritatem meruerunt. Licet verum sit, quod ut illa fundamenta, et rationes robur habeant, et iudicium prudens forment, non sufficit ab uno tantum proferri, sed requiratur examen, et discussio plurium, quia in re morali convenientia cum examine, et discussione rationum magnum pondus facit. Solet tamen communiter dici ad exaggerandum eminentem scientiam alicujus, quod ille potest facere opinionem, quia præsupponitur talis esse scientiæ, et ingenii, quod potest fundamenta probabilitatis tradere, non sine illis probabilitatem facere. Nec judicandum est temerarium, quod unus singularis id sequatur, quia temerarium non est, quod gravi fundamento ducitur, sed quod leviter, et sine pondere rationum ab uno, vel paucis contra reliquos introducitur.

XXXIV. Additur tertio, quod plerumque homines placere desiderant aliis a quibus consulunt, cum sint multi magistri prurientes auribus: *Coacervabunt, inquit, magistros prurientes auribus.* Ubi ly coacervabunt, multitudinem opinantium insinuat, qui placere desiderant, præsertim si sint principes, aut magnates hi qui consulunt, et multo magis si non cum indifferentia, sed cum aliqua suæ voluntatis explicatione, vel insinuatione consulunt, desiderantes pro suo intento invenire theologorum opiniones, et sen-